

Andreas Alexander
...ayński Gab.
...ensis Collegii S. J. Fortuna campi
domina.

FORTVNA
CAMPI-DOMINA
IN GENTILITIO CAMPO

Virtutibus, Meritis, Famâ, Gloriâ Fertili,

JLLVSTRISSIMO

EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. ANDREÆ ALEXANDRO
a Radomicko

RADOMICKI
PALATINO POSNANIENSI

CAPITANEO MOSINENSI &c. &c.

Totiq; Purpuratæ Domui

Constantissima, Addictissima:

Inter MAIORIS POLONIÆ Plausus,

IN SREDENSI CÆTV.

ad Generalia Regni Comitia prævio,

ab Obligatissimo semper Maximo Nomini

Collegio Posnaniensi Societatis JESU


DEMONSTRATA.

ANNO Natæ FORTVNÆ Orbis 1712.

Author P. Gab. Rzgczyński.

Typis ejusdem Collegii.





Primus apud Majores Fortunæ habitus honor, dum Campi-Dominam dixêre. *M. Tullius Cicero.*

Fortuna Virtutem ſequitur. *Livius Decad: 1. lib. 4.*

His neque per dubium pendet Fortuna favorem,
Nec novit mutare vices, ſed fixus in omnes
Cognatus procedit honor. *Claudianus.*


Virtutibus ille Fortunam domuit. *Idem.*

O ſummos hominum, quorum Fortuna per Orbem,
Signa dedit. *Lucanus lib. 7.*

Purpureos Fortuna Viros cum murice ſemper
Proſequitur. *Sidonius Apollinaris.*

Tua proceſſus habeat Fortuna perennes. *Ovidius.*

O Fortuna novo ſemper quæ perfida vultu,
Non ſinis immotum requieſcere ſedibus orbem,
Orbe tuo deſcende rotâ, ſine lege vagari
Non datur ulterius. *Carrera Soc. IESV.*



AVITVM INSIGNE
ILLVSTRISSIMÆ
DOMUS
RADOMICCI-
ORVM.



Prælargo rubuisti Stemmate Campi. Ennodius.

Largior hic Campos æther & lumine vestit
Purpureo. Virgilius Æneid: lib. 6.

Circumfert lumina Campo. Silius lib. 16.

Insignes Consule Campi. Idem lib. 9.

Spectabilis undiq; Campus. Ovidius Metamor. lib. 3.

—— —— —— —— Gradivus in armis
—— —— Implevit proprio de nomine Campum. Silius lib. 12.

Cum spoliis Campum retinent, & Marte fruuntur.
Sidonius Appollinaris.

Et mea multis —— —— fama volat Campis. Barclaius.



ILLUSTRISSIME EXCELLENTISSIME PALATINE POSNANIENSIS.



HActenus FORTVNA populorum gravibus onerata querelis, levior Dea audiebatur, alternare sæpius vices, eidem vestigio diutius non insistere, imò cum Orbis sphæra affusa plantis festinantissimè volvi notabatur: hodie pæne amisisse nomen varietate deposita, induisse ipsius Constantiæ simulacrũ videtur, dum Honor unus est fecundus alterius, numerosi Fasces nascuntur ex Fascibùs, publica decora, facta domestica. Cæcum sit Numen alibi, in Vobis SPLENDIDISSIMI SENATORES RADOMICCII invenit lumina; nihil enim oculatior Argo non, circumspexit, quod vel ad ingentium Nominum accessionem spectaverat, vel (optimè Patriæ

Civium, Palatinatuum profpiciendo commodis) ad Totius Domûs perennitatem defiderabatur. Accufate ùt dolor fvadet Sortem vitream cæteri, hoc eft, tunc frangi dicite, cùm fplendet maximè, facilè inveniri, detineri laboriosè: intra Penates hos FORTUNA ex adamante fufa, ignorat lubricum firma, quia novit fe inquilinam efse, non hofpitem. Pridem fedentem equidem Apelles ad tabulam artisq; prodigium duxerat, interrogatus cur fitum hunc penicillus donafset Deæ, ftare non poteft loco, reponebat. Quare fortes in manibus tenuêre FORTVNAM ne aliquando elaberetur; explicata contrahebantur folicitè vela, ne adverfitatum ventis procellisq; agitarentur: vix tamen aliquis præter TE MERITISSIME, DIGNISSIME ex CASTELLANO GNESNENSI, CALISSIENSI, nuper PALATINE CALISSIENSIS, nunc POSNANIENSIS fic ftitit rotam, felicitatem ubiq fuam vel invenit vel fecit. Legimus unicam non nifi BONÆ FORTVNÆ iconem Praxitelis cælo illatam marmori, ab univerfo Latio adoratam in Capitolio; fi dignum folido lapide hoc Numen erat, quod molle mutabileq; ipfum inter fatorum ictus, nutantem atq; ruentem Imperij Romani molê non tuebatur. Tot in Ædibus Tuis Optimæ Sortes, tot Polycratis annuli inveniuntur, quot æternitatis circulo dignæ computantur Virtutes. Ipfa Timothei retia fufpiceret avidè attingentium limina admiratio, fi pretiofa non efsent fomnia, umbrarum fcenæ, fpeciofa commenta: Tu Honores venarereris, non mereres. Igitur poftquam tanta profperitas vulgarem inftabilemq; agendi excefsit modum, FORTVNAM DOMINAM CAMPI, TIBI TOTIq; SENATORIÆ DOMVI

in

in GENTILITIO SOLO Addictiſsimam ſemper Conſtantiſsimamq; exhibere propoſitum. Quanquam admiſiſti Tu Dignitates omnes non ex FORTVNÆ ſic volentis arbitrio, verùm ex merito; néq; enim ſpectaſti unquam Titulis quantùm emineres, ſed quàm longè factis alios anteires. FORTVNÆ quoq; alij debent, FORTVNA Tibi, qui & FORTVNAM ipſam felicem facis, reddiſq; ei dignitatem cum fœnore, plus ornamenti conferendo Curulibus, Purpuris, quàm referendo. Et nobis facilis venia, ſi de Sublimi FORTVNA humiliter, ſtabili orbita non rotundè, Patentiſsimo CAMPO Virtutum Honorumq; quodam latifundio ſtrictim dixerimus: facilius eſt etenim Tibi admirationem immortalium operum, memoriam ætatum, Annalium fidem invenire, quàm nobis verba. Procul & ſolicitudinem mittimus de cultu orationis, dum in Te ornando Vno, Sangvis, FORTVNA, Virtus decertant. Ornaſti quoq; ſic facta Tua, ut corrumpat, qui ea melius polire calamis, comere dictis, cumulare floribus voluerit. Tandem minimè terret, verùm invitat magnitudo FORTVNÆ, quæ audentes juvat, deſides premit. Audet proinde animus, quia optimè novit etiam Superos ipſos humanam eloquentiam illius tenuitate, non ſua majeſtate metiri: idq; unum ſpectare, quid vires mortalium poſsint, non quid debeant.

Multos quos liberalior FORTVNA extulit, Lucina humiles ſternendo cunas ita depreſserat, ut nullam aliam lucem niſi primam viderent, in ſplendores nullos niſi Solis impingerent. Recenſebantur equidem retroactæ antiquitatis Conſules, ſed in medijs quæſiti inventiq; aratris, Dictatu-

ram Serranus antequam sumeret daturus jura Magnis Quiritibus, deposuisse vomerem debuit, priusq; subegisse Trabeatus Colonus difficilem pertinacemq; glebam proclamabatur, quam reluctantes Vrbes atq; Provincias. Hinc imponebantur Gabijs, Curibus juga, lassatis adempta bobus; metere Regna illa est visa manus, quæ per angusta jugera sparserat Cererem ad Honoris nasciturì sementem. Ipsa Origo Vestra ILLVSTRISSIMI RADOMICCII gloria est, invenistis nascendo Fasces inter fascias ipsas, vitam obtulit eadem & Dignitatem dies. Et quemadmodum licuit nulli parvum spectare Nilum, Gigantem vel inter cunabula non excedentem fragmenta hominum pumiliones admirari, in Oriente Solem adorare exiguum, sic primam Auroram Domus sinè sereno contemplari. Quisquis AVGVSTAM illam Divisq; parem Majestatem DOMVS AVSTRIACÆ ad Fastos revocas (si Domus dicenda est, & non Gens Tota, Religione, armorum gloriâ, regnandi felicitate in Orbe PRINCEPS) de AMPLISSIMO CAMPO cogita prodiisse, cui postquam MAIORES Tuos ARCHIDVCVM intulit Studium, theatrum immensum gloriæ aperiendo, antiqua Nomina Numina terrarum fecit. Clarius proferam, Idem STEMMA Vobis cum IMPERATRICE tot evolutis sæculis STIRPE: Candidæ Lineæ si desiderantur, nivei mores, & toto candor regnat in pectore. Vnde necesse non est FORTVNAM Cæsaris inter iratos despumantesq; vehere fluctus, timori palloriq; litando, si Securior CAMPVS est Vester hodie, inter longissimam Imperatorum seriem, de con-

stantia

ſtantia Sortis, quàm de optato portu Fortunatisq; Inſulis Iulij cymba. Ad hæc referat hic in amæna mendacia genus, ille indigus laudis in altum ſangvinem influat, alter cum Arcadibus ante Solem & Lunam Anteceſsorum vagiiſse infantiam in meris tenebris jactet; VOS ad ſplendorem Totius Domus, ab oſtentatione, aſsentatione tumoreq; vetuſtatis effictas Ceras non accendiſtis per longa atria, quia ſolidis ſemper abundabatis laudibus, Illuſtre Genus ſi deeſset facturi. Currebat orbita Anni ducenteſimi octogeſimi primi ſupra Milleſimum & EXCELLENTISSIMVS LIBER BARO IOANNES POCHNERVS ad Auream Libertatem Poloniæ, brevi a Caſimiro Magno & Ludovico aperiendam, ſtudia, vota, iter inflexerat atque ut bonis avibus ex peregrino tenderet ſolo, Aquilas ſuſpexit Regni, ſublimitatis, honorum apicis certa auguria. Et bene Campeſtri Populo Sarmatarum, AVITVM KOTFIC adjunxiſti POCHNERE SOLERTISSIME, nam ubi oras attigit noſtras, illico in CAMPVM MARTIVM abiiſſe eſt viſus, excreſcente uberrimè ſegete clypeata Virorum. Tingitur rubeo colore Totus, ne vel cruentam Bellonæ hìc arenam deſideres, aut tot profligata barbarorum agmina bibiſſe ſangvinem quem ſitiebant, neges. Liberaliſsimè hoſtium profuſus cruor, omnes in eo ita amiſſæ vires, ut leviori brachio exſangve cadaver veluti ſint protrudendæ. Erubuerant quoque FORTISSIMI MAIORES VESTRI abire incruenti ex CAMPO (intelligite) ſine Purpura Sangvinis aliquando Orbi comparere, vincere ſine vulnere, de quo plus immortalis gloriæ flueret, quàm cruoris. Vnus pro Patriæ ſalute, integri-

tate, felicitate ſaucius Zopyrus quondam magnitudine operis Hiſtoricorum fidem vix ſuperaſſe non videretur, ſi tot prodigos ſangvinis Zopyros, quot RADOMICCIOS Lechicus Orbis non adoraſſet. Accepimus Solam ENSE armatam MANVM numeroſiſsimis hoſtium globis ſufficientem: minora ibi neceſſe erat capite corpora ſtarent, quò ejus robur acceſſerat. Pugnabatur ſæpe ad Orientem & ad Auſtrum formidabantur HeroesMaximi, ipſa provocantes terrentesque pericula. Offerebat ſe omnis FORTVNA belli, quanquam FORTVNA ſit aliis audere magna, Vobis natura. Immortali memoria poſt fata DIGNISSIMVS HIERONYMVS RADOMICKI PALATINVS INOVLADISLAVIENSIS, latiſsimè gloriam, famam in NATIVO CAMPO protrahendo, legionem integram in ſe videbatur conflaſſe, ingenti exercitui parem detuliſſe animum, ut ſub VICTORIOSISSIMI SIGISMVNDI III. REGIS auſpiciis, æternum nomen liberali ſudore, ſangvine mercaretur. Plures auguſtos laureatosque Manes intentum eſt hìc non excutere, ne vel dolorem cineribus conſepultum refodiam, vel quaſi prætervolante penna delibem non tam Mauſolæis concluſos, quàm pectoribus profundè conditos populorum. Honoraria ſemper ſepulchra ſunt Civium animi, pretioſiſsima urna publicus amor. Quieſcant ſecurè alij poſt labores exantlatos pro Patria, mortis oppreſsi ſomno, Solus ILLVSTRISSIMVS CASIMIRVS RADOMICKI CASTELLANVS CALISSIENSIS VeſterPROGENITOR, utinam e mortuali buſto aſſurgeret, caputque tolleret ad ſpectaculum, quod NOBILISSIMVS FILIORVM TERNIO, veriùs GRATIARVM TRIAS,

nobis,

nobis, venturæque exhibuit posteritati. Intueretur absterso pulvere de pupilla, non sangvinem duntaxat Patrum derivari in liberos, sed & Virtutem nobiliorem illorum partem; efferre se Parentum lineamenta in vultum prolis, in mores animum: ut videlicet quædam non hominum tantùm, ast & Probitatis extendatur propago. Magis, haud ambigo, FORTVNATISSIME ILLVSTRI GERMINE PARENS in gaudia mera diffflueres, quàm in cineres resolvebaris, dum mori nescia gloria (quæ Tua est) multiplicatur ita in Natorum ordine, quemadmodum lux Solis in iride, arborum honos in fructu ubere, puritas fontis in flumine, concharum nitor in ridentis cæli filia gemma. Et, si excurrere rigidissima fatorum jura Tibi permitterent ab ELYSIIS CAMPIS in ARVA DOMVS, vernare Fascibus, rubere Purpuris, impleri Trabeis, minimè meritorum laudumque sterilia animadverteres. Sed quid altiorem animam terris ad PVNICEVM deduco SOLVM? Te AMPLISSIME, EXCELLENTISSIME MATTHIA RADOMICKI, ex CASTELLANO, PALATINO CALISSIENSI, PALATINE INOVLADISLAVIENSIS, MAIORIS POLONIÆ non MINOR GENERALIS, involvo alto silentio. Concede veniam, facilius maxima TV potes facere, quàm Oratores loqui, Poëtæ fingere, sudantia sub gestorum pondere prela protrudere. Ocyus cum IOANNE III, anima Principum, Europæ vita, Imperij tunc nutantis fulcro, Orientis fulmine ivisti in Austriam, quàm nos excurrimus in encomia, plausus. Arctabatur obsidione pænè Orthodoxus Orbis in Vienna, magnitudini cladis laboravit universa Turcia cum Vezyro, REX pedem

 protulit,

protulit, vota vicit, ipſa laſſavit fata, denique peregrinum Orbem virtuti ſuæ minorem reperit: VMBONE PATRIO veluti Ancili demiſſo cælo protegendo cadentes. Tanta Martis Lechici fama & Tua, ſecutus es ultra fines prolata Signa, iturus etiam extra Orbem Tanto Præduce Imperatore belli. Liberatorem Europæ in VIENNA egiſti profectus eò, quò nec inferri auderet alius, niſi quem immortalitati, velut Achillem Mater Thetys inauguraret. Nec ſatis fuerat non tam properaſſe ad caſtra, quàm evolaſſe amoris boni publici alis; ardore illo in phalanges hoſtium ferebaris quem optaret ſibi Fabius contra Annibalem, Conon Lyſandrum, Marius Iugurtham. Poſt intenſiſsimum bellorum æſtum nondum de emerita fronte ſudores terſeras, ſolicitudo una viſa eripuiſſe Te alteri, ac diviſiſse ad graviſsima negotia Palatinatuum; quaſi ex Unico, RADOMICCIOS Plures habere vellet, aut animam ſpirare in unam Corporis Reipublicæ multos satageret. Otioſum Te arbitrabaris, ſi omnium felicitati non laborares, pondus terræ inutile, ſi non extenderes ultra populi exſpectationem utilitatem; egentem ſolidæ gloriæ, ſi non profunderes divitem cenſum in uſus Patriæ. Quare ſimul cum PVRPVRA CALISSIENSI ſolicitas induiſti curas, Prima Curulis quantumvis altior demiſit Te ad erigendam FORTVNAM Poloniæ. Iacta ſunt ſemina inteſtini motus, occurrerunt Cives in mutua armati vulnera, hoſtem domi inventuri, aut ſi deeſſet facturi. Tu expugnabas conſilia altiore conſilio, exarmabas ratione fervorem, ne victis ſimiles redderemur victores, noſtrisq; viribus periremus. Omnino periculoſæ plenum opus aleæ experiebamur implicati diſſen-
ſioni-

sionibus si in MATTHIA FORTVNATISSIMO Sors atq; Virtus non miscerentur; nec desudasses ita quasi VNVS Senatum faceres. Venerat in frequentissimorum laborum partem MERITISSIMVS VLADISLAVS RADOMICKI CAPITANEVS VALCENSIS, nunc ILLVSTRISSIMVS CASTELLANVS POSNANIENSIS, qui profunda volvebat mente, facundo ferebat ore, integro nisu agebat nihil, nisi ad commoda, nisi ad FORTVNAM Regni. Ac inde erat quod dubitare plurimorum fecit ingenia, plus ne potuerit in PALATINATVS iniquitas ferrea temporum, an aurea solertia, providentia, dexteritas RADOMICCIORVM. Vt verò non pro Penatibus duntaxat Diis, Focisq; Patriis desudares quotidie, ad VALCENSES ARAS MECÆNAS LIBERALISSIME Te transtulisti, pro Religione, Superum cultu, laborando cum Numa, sed supra Numam. Ornamus sæpius Tua ALTARIA violis, liliis, rosis Floræ deliciis, beneficiis tamen non utimur ceu floribus, tam diu gratis, quamdiu recentibus; quæ dum accepimus, statim de firma memoria, perennitate, immortalibus gratiis cogitavimus. Plura de liberalitate non empta precibus, sed verecundas præveniente ubiq; voces RESIDENTIA loqueretur VALCENSIS, si parsimoniam solam encomiorum non adamares, tenacissimam mentem benefaciendi semper retinendo. Itaq; vox non nisi hæc erumpit omnium, iturus per Titulos, Grandia Nomina, & Plus Vltra Honorum DIGNISSIMVS VLADISLAVS, superaturus est Dignitates quas gerit, meriturus omnes quas non tulit.

Ne ad Triarios autem Res Romana tantùm sed MAIORIS POLONIÆ quoq; deveniret, fata

quæ tardo pede labuntur alibi, ad QVARTVM FRATREM PERILLVSTREM STEPHANVM RADOMICKI MILITEM & HEROEM properasse sunt visa; quasi melius haberet ille (e mente Senecæ) cui citò reverti licuit, cui ante lassitudinem iter est peractum. Magnis ivisse passibus HEROS debueras, dum sic festinè ad æternitatis metam accurristi: vel avara nimiùm est bonorum æternitas, quæ quidquid se dignum æstimat, rapere mavult, quàm exspectare. Vnicum in dolore maximo reliquêre Vobis fata solatium, quod intra sarcophagum non minorem fecerunt. Sed quemadmodum grandia magnarum molium leguntur vestigia, non minus miratur Orbis Rhodii Colossi rudera, quàm dum in altum surgeret vertice, ita exili urna arctatur minimè amplitudo Fraterna: Magnus cecidit (in ipsa morte, vivente amore belli) Magnus jacet ut è vestigio cladis appareat, quod in mole extiterat. Spes quas de Eo conceperamus grandes, Vos cumulabitis, numeri atq; gestorum pensando damna, immortalitatem Nominis protendendo ultra mortis confinia.

Hactenus vetustiora recentioraque ornamenta DOMVS, dictio sequebatur inculta, tempus ut in AMPLISSIMVM CAMPVM OSSOWSCIORVM CERVVS jam se effundat, dum Alti Sangvinis Fontes, præter innumeros alios, ANDREAS de OSSOWASIEN GVBERNATOR WSCHOVENSIS aperuit. MATERNVM hoc ANIMAL est, tam procul à formidine inter classica præliorum, armorum strepitus, quàm non dissimile vel Nemæo Leoni labori Herculis. Aliarum (segnium inquam ferarum est) sitire lymphas, trahere amnes,

amnes, intensissimi ardores CERVI solo hostili tabo exstingvebantur, dum CERVO DVCE legiones integræ ad fortitudinis prodigia animatæ non prius cessissent acie, quàm de vita. Vestigia SOLEÆ ZALESCIORVM impressa CAMPO, quis non miratur? Solennissimus cursus illius est in Olympico belliq; pulvere, Honorum Appia, non enim metam noverat aliam nisi supremam. Excurrerant ad latè Patentes Agros VRI LESZCZYNIORVM & BRONISZORVM, ipsa atrata facie Fumosas referentes Imagines, FALX IABŁONOVIORVM recisis a stirpe hostibus laureas demetit, amant NATALE SOLVM ROZDRAZEVIORVM ROSÆ, POTOCCIORVM CRVCES. OPALENSCIORVM, SZOŁDRSCIORVM, PONINSCIORVM. Redimitæ portum tetigêre CARINÆ ut in securo littore; SAPIEHARVM SAGITTÆ votorum terminum. PRZYEMSCIORVM despicit VRSVS Tractus Hercynios, Sylvas vel Dodonæas bene assvetus CAMPIS. Brevibus complectar multa. CONSANGVINITATIS ARBOR amplissimè se diffundit in hac Planitie, Flos Polonæ Nobilitatis in GAIEWSCIIS, BVKOWIECCIIS, GOSTYNSCIIS, NIEGOLEWSCIIS, GARCZYNSCIIS, VIEYSCIIS &c. &c, CAMPVM FLORÆ sortitur. FASCIA UNICA CZARNKOWSCIORVM (intelligite) CELSISSIMORVM in Człopa DVCVM tam ampla est, ut præter nascentem Fidem sub MIECISLAO I, hac involutam, etiam Orbem Polonum impleat; VESTRÆq; DOMVI devinciat nexu arctissimo Connubiorum. Firmius illâ, quàm Nodo Gordio, & instabilis Fortuna alibi se illigavit, ne è LARIBVS Vestris

PATRITIIS elabi posſit ſtatione relicta. Imo in orbitam felicitatis univerſorum notabatur iviſſe VITTA, dum profunda Patriæ vulnera alligaret, ſtringeret hoſtes, interminabili circulo exempla, decora complexa omnia. His aliisq; ad calculum non revocandis ANTECESSORIBVS Tuis ingens gloria eſt, Te præceſsiſſe PALATINE LAVDABILISSIME, Solâ Fortunâ temporum, non magnitudine geſtorum poſteriorem. Accepit ab illis Patria ornamentum non vile, TV MAIORIBVS IPSIS ex Te dediſti. Igitur, Te jam non Tuos duco in paginam, immenſas laudes compendioſè (cum injuria magnitudinis rerum, non veritatis) expoſiturus, præfidentiâ illâ narrationis, qua Heroibus Maximis anguſtos artus Apelles affuderat, Timantes pollicem Gigantis exhibuerat, Parrhaſii manus leonis ungvem; Alcide ipſo, Centimano Briareo, nec non leone integro æſtimationi hominum derelicto. Et promptius, credite, Mirmecidem ſæcula ſunt inventura, qui unius muſcæ alâ tegere navem, vel qui ad nucleum ingentia Ilii geſta poſsit reducere, quàm qui Tuas Virtutes omnes, Merita tota ſubiiciat oculis, tradat memoriæ.

Manifeſtabat ſe cum annis indoles ætate major, & hæc breviſsimè puerum mente, quia invitè reluctanterq; etiam corpore geſſerat. In prima aurora vitæ meridiem pollicebaris, in flore, adulta decora exhibuiſti, quolibet præterlapſi temporis intervallo Te ipſo ſplendidior, melior, major. Spectabaris in prætexta, Vir planè in toga audiebaris, & cum nihil par juventuti, omnia Tibi æqualia ageres, nobiliſsimis dotibus, egregiis moribus ævi partem exiguam extendebas. Tandem cum optimè

mè nosses facta esse hominum, non annorum, otiosas abire horas nisi manus accesserit, doctis laboribus in CELEBERRIMA ACADEMIA CRACOVIENSI Te commodasti, imbuendo sic mentem Literis, tanquam Apollo cum Musis, Mercurius cum Tullio immigrasset in pectus: Pallas non Iovis saucio cerebro, sed RADOMICCIANO CAPITI deberetur. Mirabantur Athenæ Lechicæ subitò plenum Artibus Scientiisq; animum, grandem ingenii capacitatem innocenti avaritia laborasse notabant, quam nulla explere poterat eruditio. Plerisq; in domestico solo ingeniorum cultura defuit, Sapientia non excrevit in culmum; & inde erat, quod alieno sub sidere clausas Pelago, Archipelago vias, ac veluti a reliqua natura secretas aperirent, ardentiore Sole calentia adeundo Lycea, sitim Studiorum accenderent: Tibi in Regno Patrio, Libero, Absolutum Sapientiæ Imperium est indicatum. Tota, quà latè porrigit se PLANITIES Domûs in Arenam, Oratorios conversa Campos; ac ne quid deesset ad gloriam, etiam levia librorum folia a labore grandi accepisse pondus, volumina integra in Fastos se evolvisse videbantur: sepiæ umbra Dignitatum lucem, omnis literarum apex fastigium portendebat FORTVNÆ. Vnica olim nonnisi æstas ad singulare certamen Naturæ cum Arte, insignitam literis herbam e Leopoliensibus protruserat agris, ut laboriosus agricola vomere colendo glebas, ingenium elementis literarum excoleret; doctam legeret messem. Tuus LITERATISSIMVS semper sic CAMPVS extitit, ut præter exquisitæ eruditionis florem, Hortensios Rosinosq; proferre posset.

Taliter in Polonia, ultra ætatem, verùm non

ultra exſpectationem omni literatura conſpicuus ingenium Lechicum peregrinis miſcere Artibus nitebaris, ne in TELLVRE PATRIA ſterileſceres plantarum more. Adiiſti homine privato Major DivorumLimina in Italia, infra quæ Alpium decumbunt juga, decreſcit quid quid eſt minus Cælo. Amphiteatra vetuſtate obſita & veluti profundum honorem antiquitati ſuæ ſuccumbendo habentia vix oculis decurriſti, ſine mora Spectaculum in Te Ipſo Maximum confluenti populo parabatur. Gallia ferax Patria florum, ſi cui, Tibi fructus aureos attulit, magisq; CAMPVM vernare fecit. De albis Liliis ſine labe mores, antiquus candor, famæ optimæ deſumptus odor ; de Belgarum, Venetorumq; Leone magnanimitas animi, ſublimis in ſupplices clementia, de Imperii Bicipite Aquila, pupilla luci intenta publicæ eſt derivata. Nec hìc ſubſiſtit calamus, quia nec Indoles Virtusque Tua ſtare neſcia loco, quæ dum adinſtar Siderum Principis terras obire ſatagit, ad Mare delabitur, Hollandiam Angliamq; non luſtrando tantùm, ſed illuſtrando. Hic Exterorum dicite littora ? invectæ ne ab Erythræo Æquore, Ora Piſcaria pretioſiores gemmæ RADOMICCIIS, Iuventutis noſtræ Vnionibus. Non neſcio multos longo ſuperato itinere doctrinam brevem, breviorem virtutem advexiſſe cum veſte, innocenti Polono ſub aliena relicto plaga, altiſsima vulnera Patriæ attuliſſe, a Climate disſito attraxiſſe vitia monſtrorum maxima, eò ſvaviora, amæniora, quò laborioſius, periculoſius terrâ mariq; ſunt quæſita. Removebat Innocentia Tua ab annorum calore dictatas leges Adoleſcentibus, inter quas principaliſsima exiſtimatur eſſe, Magnam FORTVNAM Domûs oſtentare in luxu, pretio-

ſam

ſam inſolentiam comparare auro, ad domeſticos lares devehendam. Fidem ſi livor dictis denegas noſtris, ipſi exteri Soles illuſtres extant Virtutis teſtes, aliena Sidera lingvæ vel me tacente. Lingvas cæli vix attigi, tranſiiſſe ad Te Idiomatis decora ſui mirata Germania, ad Tyberim potius aut Padum, quàm Vartam editum proclamavit Italia, dum promptè concinnè dictiones proferres Italas, hoc eſt easdem cum Mundi Capite Roma, Vaticano Oraculo haberes voces. Nec minus Gallia capiebat ſolatium, quòd ſemel Lilia, ſecundò Roſas Orator ubiq; floridus loquereris. Itaq; quisquis Satyricus es, i nunc, ac de Sarmatico Solo proſcribe Muſas, dic lingvas Patrio teneri frigore.

Hæc, Nationes Variæ in Te expertæ decora, ſed quia aliena erant tanta ſolatia, aliena vota & deſideria, Poloniæ reddere tenebantur. Amores Europæ Principum ut venienti effundebantur obviam, ſic abeuntem comitabantur juncti exiſtimationi ſingulariſsimæ. Quapropter ut ex radio Solem, ex flore fructum, Apellem noſtis ex linea, ita ex NOBILISSIMO ADOLESCENTE ANDREA CASTELLANIDA CALISSIENSI, de Viro, CAPITANEO, CASTELLANO, PALATINO &c. &c. ſumite non vana omina & argumenta. Quidquid dixeritis, non ultra fidem, Patriæ ſpem, amorem omnium, auribus illaturi.

Primum, illudq; perenni memoria dignum occurrit nobis in Te Polona tenente limina, quod cum non unius decurſu anni Comitiis intereſſes Sredenſibus, Reipublicæ Faciem ferres in vultu, impleres ſplendore oculos, unicas aures ſvavi eloquio non demulcebas. Pythagoram ſcilicet induiſſe tunc notabaris vel Tacitum, ut vocalior mox ap-

pareres. Et bene, Oracula etiam Delphica depromuntur non ſemper, colligit interdum loco majeſtatem Cortina, venerationem taciturnitas: e Tripode Apollinis aureo reſponſa dantur poſt intervalla. Ille, ille eloquentiſsimus auditur Cyneas, qui ſub Magiſtro Harpocrate, modum, opportunitatem ſolidè, ponderosè loquendi didicerat. Veritatem aſſerti quæris? in ILLVSTRISSIMO PALATINO adverte. Vix ſpontanea vincula abrupta lingvæ, regebantur animi dictis, aures attonitæ tractæ, manus ad plauſus datæ; verborum pondere uſitatiſsimum erat premere univerſos, perſvadere toties, quoties perorare. Nec robuſtiorem eloquentiam Sæcula noſtra inveſtigate alibi, in ANDREA, id eſt VIRO Nominis Sui, ſolidiſsima dictio: inter tot ILLVSTRISSIMÆ DOMVS Splendores, Ceras, non ſine lumine. GEMINI PALATINATVS, veluti Poli, in Cælo Lechico, vertebantur negotia, Te Motrice Intelligentia, hanc dum nomino SVPREMVM MODERATOREM CÆTVS intelligo, toto plane biennio effata dantem & non conſilia; hæc divulgantem ſemper, quæ ipſe Patriæ Amor loqueretur. Audiit MAIOR POLONIA & æſtimavit Spiritum Animumq; Optimi Civis, gemmas non voces pro Libertate Aurea depromentis. Obſtricti (identidem inquiebas) mancipatiq; vivamus legibus, ut ſemper liberi poſsimus eſſe. Hæc enim vera libertas eſt, in qua obtemperamus Statutis domi, ut extra limites, jura, imperia protendamus. Falsò vocabulum liberi ab hoc obtenditur, qui privato commodo ſervit. Nonnulli ut quietem, ſecuritatem, cardines Statûs, deniq; ipſum evertant Regnum, ſpecioſum titulum præferunt libertatis,

omnia

omnia ubi proſtraverint, libertatem ipſam aggrediuntur. Credite, quòd nihil magis, quàm immoderatus, & præceps illius uſus eſt fugiendus. Sæpe libertas, incauta, nimia libertate evertitur.

Cedente fatis immortalitate DIGNISSIMO IOANNE III, Regni Poloniæ Sole ad occaſum vergente vitæ, ne latrocinia de nocte ſurgerent, poſt mortem Principis ſcelera reviviſcerent alia, enaſcerentur alia, IVDICIS CAPTVRALIS Subſellium communia NOBILITATIS detulêre ſuffragia. Vbiq; tempeſtate ea obverſabatur imago luctûs, atratus color, non tamen ſine ſolatio innatante lacrymis Civium, quia non absq; Te IVDICE ÆQVISSIMO, quo ſecuritas Regni ſe tuebatur. Iam confluebant Principum Exterorum Legati, & facilè intuebantur Interregni totius ſpatio non regnare inſolentiam, & quando grande Maximi Regis exſpectabatur funus, tumulari profundè (ſi quæ erat) nequitiam. O Patriam orbatam Patre, ſed felicem Tutore, niſi RADOMICCIVM pupillam vigilem dixeris, per quam FORTVNA melior reſpexit Poloniam. Aperiebatur Electoralis Campus ad Varſaviam, ſine mora ingens parabatur opus & in RADOMICCIANO CAMPO PVRPVREO vel hoc ipſo, quod Regalem Purpuram Dignisſimo Candidato offerret; privatam utilitatem adorare pro Numine erubeſceret, in pulcherrimo colore virtutis verecundiâ. Erant, qui poſt irrequietos tumultuantium animorum motus, Pharſaliam Iulii & Pompeii transferrent in Campum Electionis, Tu ſapientiſsimè, zeloſiſsimè in ejusmodi ſimilesq; voces erumpebas. Avertant Superi Boni, ut Meum GENTILITIVM SOLVM Fraterno ſangvine rubeat aliquando, ſcru-

E tetur

tetur GLADIVS viſcera Patriæ. MANVS in Stemmate ferro armata cernitur, at contra hoſtem, non Civis jugulum. Bella geram, plures habitura triumphos, palmas, coronas,& non domeſtica claſsica canam, inter quæ vincere ipſum extremæ cladi adnumerandum. Ita inter ſuſpiria ducta ex alto pectore effatus eſt, plura glorioſa præclarè, ſtrenua glorioſè ibidem geſsit, ac quod ſupremum, ſingulariſsimum, in tanto Reipublicæ totius motu Statorem Iovem repræſentavit. Stetiſſent utinam & præcipitata in exitium mutuum odia, ſed diſcordiarum globus ubi citius volvitur, vireſq; acquirit eundo, ad PACIFICATIONIS COMITIA, non Deorum Nuntius quemadmodum Mercurius, verùm Nuntiorum quoddam Numen abieras. Ibi quid egeras? imo non egeras? ut in Electorali Campo ſemina diſsidiorum, turbarum, ſparsa non excreſcerent, radices profundè non agerent, ad ingentem periculorum, fatorumq; acervum componendum in Regno. Vna prudentiſsima Sententia Tua pro SERENISSIMO AVGVSTO II multorum erat. Svadebas, impellere animos diceberis, aut Herculis Gallici felicitate trahere. Verè de cælo lapſum tunc Te Catonem alterum proclamaſſet non unus, niſi TERRESTREM NVNTIVM fama doceret publica. Plaude ergo Polonia, olea pacis in RADOMICCIANO CAMPO effloruit, inteſtinorum bellorum taxo cupreſsoq; ſubmota. Triumphate, ſerenate graves lacrymis oculos populi, Sæculum quod Martis arma Ferreum conabantur efficere, pretioſa ſvada reddidit Aureum. Hæc geſtiente vix loquor animo, vertitur FORTVNÆ circulus, brevis malacia minatur procellam, magna ſerenitas gravius fulmi-

fulminavit. Fecundiſsima malorum tempora, bella peperêre ex bellis, accumulabant fata, Trojanum equum induxiſſe in Lechiam cenſebantur, unde tanta pericula, clades, funera eruperunt. Proh dolor! immanis dolor! ſuperata, laborioſa egeſtate, Numantia, horrore ſolitudinis Vrbs Syracuſana, flammis Troja, excidiis adæquata Carthago; magnæ olim molis, magna ruina obiicitur, magnus magnorum cinis, imo (credetisne poſteri) etiam ipſæ periêre ruinæ. Prolixius quàm par eſt involas penna in temporum atrocitatem, relicto MERITISSIMO SENATORE, quaſi concatenata Patriæ mala vellet ille protendere, non detruncare. Magna calamitas, maximus dolor, (calamus inquit) diu taceri nequit, Laconicè explicari. Series bellorum ipſa, PALATINO CAMPO ſeges gloriæ, encomiorum eſt, ex qua, ut Sol de umbra pulchrior prodit, ex ſpinis roſa venuſtior, aurum ex ignibus purius, gemma ex decumanis fluctibus gratior, ita amor communis boni naſcitur amænior. Quanquam Sol ipſe maculas numerat, cælum obſcuratur ſæpius nubibus, RADOMICCIANAM Frontem graviſsimis procellis Regni ſemper altiorem ſuſpeximus. Deſine igitur oſtentatrix antiquitatis fama detonare, pro ſalute univerſorum ſe devoventes Menæceos, Theſeos, Attilios, Decios, Vnus pro omnibus, & ſupra omnes eſt RADOMICCIVS.

Iam quieti, otio redderent alios, labores tanti, generoſiſsimum animum nutriebant, continuati firmiorem ad ardua expedivêre. Hîc, laborum finis, ipſe labor eſt, feciſſe præmium facti. Ivisti paſſu pleniſsimo ad RADOMIENSEM COMMISSIONEM, digna Te, digna Sudoribus fuſis in

æſtu belli numeraturus præmia. Gaudebat Campeſtris Mars & Polonia, quòd ex arena ſangvine tincta in PVNICEVM CAMPVM eſt devoluta, argenteis haſtis, poſt pila minantia pilis pugnatura. Magnetem natura fecit ferrum allicere, ars nobiliſsima Tua militarem chalybem trahere aurum. Et nunquam (date dicenti fidem) nunquam hebeſcerent legionum acinaces, ſi acuerentur aurea cote; nec triumphales marceſcerent lauri, Pactolo, Gange, Hermo, Tago irrigatæ. Explicas in Caſtris Signa, Loricatam Cohortem pro muro ferreo, aut aheneo, præter Spartanum pectus opponendo, qui pridem non tantùm arma, verùm & NOBILITATIS corda, amores centuriatos omnium deducebas ſub AQUILIS PALATINATVS.

A Sago ad Togam properat arctior, humiliorq; ſvada, cum verbis non attolli facta, nec ſplendidiorem fieri virtutem elogio ſit palam Orbi. Ornatior eſt nuda virtus, fucos Oratorum patitur ægrè, ipſa ſibi tam illuſtre præmium, quàm panegyris. Aurum montes integri tegunt, conchæ gemmas, ſidera dies, egregia virorum decora inanes quidam verborum apparatus. Eripuerant fata TRIBVNALIS REGNI MARESCHALCVM, credo ne poſt impleta exactiſsimè Sancita omnia, etiam ultima lex prætermitteretur; vel ne poſt immortalia opera, aliquid effeciſſet mortale. O! quàm multa SENATOR AMPLISSIMVS pro æquitate egit, dum agebat & animam. Facilè viciſsitudine illa, emortua autumaretur eſſe POLONA THEMIS, ſi Tu anima rerum PROMARESCHALCVS, ſingulariſsimo favore Superum non acceſsiſſes. Vileſcebat ſtatim in Curia

quævis

quævis Cauſæ defenſio, quæ magis ab auro ſupplice, quàm a juſtitia habebat pondus. Non intra ſecuritatem patrocinii fuerat præpotentem eſſe, niſi innocens ſimul appareret citatus. Alibi pretioſa ſunt illa ſcelera, quæ teguntur murice, apud Te omne nefas vile quantumvis in ſplendore & auro. Alibi plectuntur loculi, non crimina, reaq; trahitur innocentia, ſi querelis pulſet, non ære aures. LATISSIMVS hic Iudiciorum CAMPVS ſed ſine Stratoclis plumbei Iudicis aurea meſſe, non tamen absq; æſtimatione, honore, pretio. Totum laudabiliſsimum & Tuum eſt. Multa attigimus, & nihil diximus, fingeremus ingenioſè aliqua, plura fuêre veriùs, divulgaremus magna, majora glorioſè prodierunt. Hinc palam eſt, ex Iuſtitia ſtricta Secundos Faſces, ideoq; feliciſsimos Petricoviæ Tibi porrectos eſſe, ubi MAXIMVS Cauſarum ARBITER, ſimul Sæculorum negotium legebaris in Legum Tabulis, in quibus innocentia omnis feliciter enatavit, proſcripta crimina. Audivimus intricatiſsimos litium nodos facilè AVITO GLADIO diſſolutos ab ALEXANDRO, vidimus in Libra Themidis Virtutis non leve pondus, deprædicavimus ſolidos dies noctibus junctos exſpirantes in Curia; mirati deniq; ſumus, omnium ex Iuſtiniani, non Gratiani Codicibus moderantem ita Sententias, ut ne Solon, Ariſtides, Lycurgus meliores optaverit. Amiſerat olim inter Græciæ umbras Areopagus lucem, in ILLVSTRISSIMO MARESCHALCO invenit, in qua cerneret nihil, præter calamitatem alienam ſublevandam, aut tollendam. Redditi ſcilicet Iuſtitiæ oculi ad reſpectum ſolius innocentiæ, reſtitutæ Iudicibus manus ab antiquitate ſubtractæ, non ad palpanda munera, vitia, ve-

rùm promptiùs, & ponderosiùs castiganda. Applaudo & felicitati vestræ pupilli ac infelices; nullos existimat digniores esse PALATINVS, quàm quos Fortuna dejecerat. Toties in Melioris FORTVNÆ Ædem inferri se jactabat inopia, adoraverat quoties RADOMICCIANAM DEAM DOMINAM CAMPI. Apponat (eadem inquit) liberale cælum Dignitati Tuæ FORTVNAM illam, quam eripi aliis, aut detineri ereptam prohibueras. Talia quid injurii laudatores obtrudimus? nobiliora procul, vindicata multorum innocentia dabat elogia. Singularissima Modestia Tua in primo aditu Vrbis Lublinensis, fugam adornavit Honoris, ne aliquo triumphalium acclamationum, plausuum læderetur confinio. Quid autem tam augustum est? quid tam novum dicite? quàm sprevisse instructam pompam, calcasse fastum sine majore fastu. Disce ambitio, quòd humani imbecillitatem transcendit animi, ad conspectum Titulorum erubescere, prensantis se Dignitatis avidas eludere manus, meditari fugam forti constantia Demissionis. Legimus callidiorem Lescum in Promnicensi CAMPO prævenisse cæteros ad Coronam, ad quam non ita ferebatur præcipite impetu equi, quàm impatientibus votis, veloci ingenio. Tardiùs de industria FORTVNÆ Tuæ, nostræq; orbita promovebatur in DOMESTICO CAMPO, nihilominus cursus solennis erat, Ingressus, matura nocte Sideris Magnitudinis Primæ, dum ab effusa multitudine populi observari non poterat, spectabatur ab Astris. Profundè satis Modestia se hic demisit, ut profundiùs iret, ex Tribunalitiæ Dignitatis munere nihil ad se pertinere rata, præter exempla virtutis insolitæ. Infra SCIPIO-

NEM

NEM humilior locus eligebatur equidem in Sacris Ædibus, attamen quidquid sublime erat, non supra excelsæ mentis, auctoritatis dicebatur fastigium.

Huc oculi, huc Spectatores, rarissimo, si non inaudito exemplo affinem Solio Regum Tribunalitiam Majestatem demiseras toties de genu supplex, quoties magni momenti Actio instruebatur, acuebantur lingvæ, parabatur ingens certamen partium ; multorum capita inter legum volumina desudabant. Quare videre erat, & confestim admirari, Se Ipso tunc MARESCHALCVM evasisse minorem, Majorem aliis inter preces, inter supplices cælo porrectas manus : ut palam esset, quòd non aliter inclinata Sors populorum sit attollenda, nisi se prosternendo humiliùs, ratione non alia gravissimæ lites deducendæ ad exitum, quàm Iudicis Iudicum Numinis emendicata ope, imploratis suppetiis. Spectavit Curia defixa stupore submissionem, & in ejusmodi prorupit verba. Heu quàm grave pondus Potestas Tribunalitia ! ad genua terramq; deprimit ; PALATINAM quoq; inclinat sublimitatem. Quò prolabentur infirmiores humeri ? si Atlantici sub hac mole fatiscunt. Siluêre Anno integro tubæ intra MARESCHALCI parietes, vocalis fama vulgabat omnibus, ex Legionario quodam Antesignanum invasorum, jus tenentem in armis, capite diminutum, cum ingenti RADOMICCIANÆ Iustitiæ incremento. Ad hæc vetante præcone publico non exigebantur, nec extorquebantur Foranea, ad augendam culinam ex aliena tenuitate : plurima erogata millia æris, argenti, auri, sed quæ pridem domestica tenebat arca, ad singulare pretium Nominis comparandum, non religata reorum marsupia ingesserunt. Vene-

 rat

rat ſemel egeſtas opibus nuda, æquitate locuples in Nobili Puero expedito a Matre, veriùs pulſo ad limen Curiæ. Tota hæreditas uni incluſa peræ defluebat a collo, neq; gravabat, utpote levibus inſcripta foliis, amiſſa in fundo. Stabat, & ſolis lacrymis (quibus pondera vocis ineſſe novimus) perorando pro Domo, in palpebram, animum influxit Tuum, apud quem ut indigentia mereatur ſubſidia, ſufficitegenum eſſe & ſciri. Additus eſt ſine intervallo Patronus Puero, Cauſa pauper ſed innocens Te ſtante non cecidit : hic, qui præter timorem, dolorem, & liberales fletus nihil attulerat ad Iudicium, onuſtus gratiis, gaudiis, tripudiis, triumphoCauſæ, ovans proſiliit. Verè felicem Diem dicebas omnibus ILLVSTRISSIME, nulli quantumvis ad inopiæ umbras d: nato noctem ; ſola paupertatis exhauſtæ pera erat in oculo, amandatis procul tumeſcentibus Metallo Principe loculis. Inclinat jam ad exitum Iudiciaria Poteſtas Maxima (o rem admiratione dignisſimam) incipit amplior gloria quà finis erat. DEPVTATI IVDICES aderant quot quot Petricoviæ, formidabant, exhorreſcebant inter pallentes homines, magnaq; ſui parte ſepultos, quia peſte afflatos, Theatrum Themidis, baſilicum ſecuritatis Polonæ Sacrarium claudere, Acta limitando Tribunalitia: PALATINVS CALISSIENSIS Vnicus, inter timores mille, numeroſas mortes, funera cumulata funeribus, eo vultu poſt nobiliſsimam ſui victoriam ingreſſus Curiam, quo Romani Triumphatores ferebantur in Capitolia. Nonne ſentis, experiris ? nonne vides manifeſta extremaq; pericula ILLVSTRISSIME ? cæcus æquitatis amor eſt dicebas. Grandia protuli non univerſa. Non prius (ut ad inſolita, ardua, prodigioſa natus, ubiq;

audia-

audiaris) & in Vrbe Lublinensi Decretoria tacuerunt Oracula, quàm in populi correpti lue, Clientumq; Tuorum aliquot vultu, exaratam mortis spectasses sententiam. Memoria facti ut inter funera vivat, perennet in marmore Curiæ inferendo, Inscriptio hæc exaratur. Huc nobiles Historici curas, huc elogia Oratores. At vereor ne magnitudo gestorum fidem infringat Annalium, Tullios impares laudando faciat. Aude tamen anime, & manus donare saxo; auro, cedro digna. ANDREAS RADOMICKI PALATINVS CALISSIENSIS, MARESCHALCVS TRIBVNALIS REGNI ipsa discrimina fugabat pestis, felicitati publicæ paratus immori. Citius vitam deseruêre plurimi, quàm Ille THEMIDIS stationem. Aula exitialibus obruta telis ex parte cecidit, Herus immotus stetit. O si tam frequens in Vrbe Mors nàncisceretur oculos, videret avidè tantum spectaculum, & invideret.

Arctatur pagina, augentur Virtutum adoreæ ad exhibendam immensitatem CAMPI. Quid hìc ego prius Pietatem ne, an Religionem Affabilitatem, an Demissionem demirer Tuam? Aperit se mihi KONARZEVIENSE PALATIVM profuso ære non ideo elaboratum, ut laxiùs, quia latiùs vivas, multos inanium curarum angulos, necnon perfugia solicitudinum teneas, verùm ut Purpuratæ Dotes splendidè hospitentur. Plerumq; faciunt palam frigida ædificiorum marmora, gelidum inibi fuisse Zeli Orthodoxi fervorem, prolixo ordine ductæ Imagines sanctitatem pictam; Avitæ Ceræ, omnia defluxisse in vitia. Hìc in lapidibus solida apparet Virtus, Domus non tam aulæis, quàm aureis moribus adornatur. Qui verò Aulici vitio suo

probi esse nesciverant, Tuo cogebantur exemplo ad consilia sanctiora, integritatem vitæ. Facilis etenim recti persvasor est innocens Dominus. Nemo veretur scelus, quod in Mecænatibus adoratur, Tyriâ ornatur lanâ. Toties timentur crimina, creduntur quoties Maximis Viris non minùs displicere. Frequentissimum alibi est, remotis a mensa epulis jacere aleam prope in Hesperum, clamoribus implere ædes, atterere tabulis horas, fugitivi temporis opes inter lucra amittere. Illibatissimi Penates Tui nec maculosum ebur patiuntur, inconstantis Fortunæ perosi notam. Parcendum tempori omnino putas, cujus unius jactura irreparabilis, laudabilissima parsimonia, honesta avaritia. Nec otiosa pateris momenta fluere, solidissimis ea impendendo negotiis: evolare alatas horas, cum machinarum rotis rapidissimè volvi non experiris, gravissimo agendi pondere dies, annosq; retardando. Quò ampliora Augustalia exstructa legimus, aut spectavimus a nonnullis, eò non semel luxus populator opum se extendebat latiùs, extendendo contraxit patrimonia, contrahendo in immensum auxerat æs alienum. Tu CLEMENTISSIMVS licet, implacabili odio infensus es prodigalitati, in latitudine atriorum ipsa, reductæ ad angustias; VIRTVOSISSIMVS, cupiditate quadam incitari videris Moderationis, qua ut nulli unquam secundus esses, eam principalissimam curam arripuisti. Insolens existimabas semper, ut quidquid fert alitum aer, ferarum terra, piscium aqua, subsidentes mensæ detineant: uni fastidienti gulæ integra desudantium coquorum agmina, elementa laborent. Non fames nobis (mente revolvis) pretio ingenti constat, sed ambitio, opinione vilescunt

fer

fercula ; parvum eſt ſtomachi, maximum oculorum faſtidium, in mediis epulis quamvis ab extremo petitis Oceano, delectu ipſo ſe defatigantium. Iungis præterea, ubiq; res diverſiſsimas, FORTVNÆ Dignitatem atq; Modeſtiam, infaſtigio absq; tumido faſtu oſtentaris: ibi corda, affectus, amores omnium conſecutus, ubi Vatiniana odia vix evitantur. Neq; FORTVNÆ Tuæ tantâ potentiâ, ad infortunia, diminutionemq; alicujus abuteris ILLVSTRISSIME; ignobiliſsimæ animantium turbæ, aculeos venenaq; conceſſa eſſe affirmando; non animalium Leoni Regi, Elephanti molis turritæ bajulo. Affabilitas ſingulariſsima non cum FORTVNA Tua, ſed Tecum nos loqui jubet: acerbitates caſuum ſvavi colloquio dum temperantur, triſtiſsimæ animorum nubes amænitate frontis diſcutiuntur, in Te transferre orbitatem alienam videris. Poſt Virtutes has, ſimilesq; innumerabiles, in memoriam, exempla, imitationem poſterorum ituras, quid de Humanitate proferam, audient ſæcula? Multos velut e Pyrrhæ, Deucalionis, vel Cadmea ſemente progenitos vix cenſueris homines, quibus plus feritatis, quàm humanitatis natura admiſcuit, aut durior chalybe induxit animus: aureos e contra homines alios, quos pretioſior indoles commendavit, dicimus ſæpe, ſæpius æſtimamus, In Te, cum POLONIA, MOSCHOVIA, ROMANO IMPERIO, ſi non EVROPA Integra videmus attoniti. Hoſpitalia Konarzevienſia feciſti Tecta SERENISSIMO & POTENTISSIMO MONARCHÆ RVSSIÆ, MAIESTATIS CAREÆ VNICO FILIO, DVCISSÆ LVNEBVRGENSI & BRVNSVICENSI, ne, vel ſine Cerere liberaliſsimè erogata, Principibus Exteris

RADOMICCIANVS appareat CAMPVS, aut fertilitas imminuta dicatur. Licuit altiſsimæ FORTVNÆ Viris limina adire Tua, licuit & ad extremam detruſis indigentiam, non librato illo, & ſolis digitis inceſſu credito poſtes atterere, verùm audacius, ſecurius ſe inferre, penitus ignorando quidnam prius mirarentur, an PALATII faciem, an Tuam pleniſsimam ſerenitate, comitate. Agat, impellat ergo quos poterit æqualitatis timor, e longinquo reverentiæ majoris amor in arcanos receſſus, obverſentur valvis unà cum armatis excubiis terror & minæ; Domus Tua procul a ſecreto illo affectatæ majeſtatis, amoris ſolas tenet vigilias, Plinianum illud inculcans dogma: Fruſtra ſe terrore ſuccinxerit, qui ſeptus ſuorum charitate non fuerit.

E Palatio ad Templa jam evoca calame LIBERALISSIMVM in SVPEROS PALATINVM, mutabit limen non Pietatem, quanquam nec limen, dum Conclavia ipſa ivêre in Oratoria: militat omnis Virtuti locus. Diutius captiva veluti tenebatur Religio in OSSOWASIEN, nec aderat qui de premente manu educeret in libertatem, Divinis Ædibus Sacrorum inferret lucem, niſi Caſtore & Polluce Majora Duo Sidera FRATRES MATTHIAS atq; ANDREAS RADOMICKI. Nec ita fervidè in Areopago ſupellectilem auream, gemmeam, proventus divites repetunt plurimi, ut Vos Patrimonia Eccleſiarum requirebatis vel hac de cauſa, ut nihil unquam incipiatis niſi ab Aris, nihil agatis niſi pro Aris, id eſt omnia pro Summi Numinis cultu. Deſiderabat & in KONARZEW TEMPLVM vetuſtatis laſſatum pondere, architectam Pietatem, qua cum erexiſſes depreſ-

ſum,

ſum, ex indecoro pulvere extraxiſſes ad Solem ceu ad vitam, magna parte ſepultum; Comptiores Aræ ſquallore pulſo renidere cæperunt, nec tam frequentioribus ignibus collucere, quàm fervore, ardore Tuo erga Ædem cognatam Cælo. Sed quod tandem præmium proferte, hoc religioſiſsimum comitabitur factum? collecti lapides, Lydii ſunt Pietatis: allapſura ſerò tempora diſcent, omnem moviſſe lapidem PALATINVM, ad Templorum Divorumq; perennatura ornamenta. Atq; quemadmodum Sacri Parietes, olim ipſis ad Te anheli rimis, ipſis ruinis ſpectabantur ſupplices Tibi, ita RADOMICCIANO accepto Nomine, Memnonii adinſtar Saxi loquentur MVNIFICVM RESTAVRATOREM Æternitati. Sunt qui videndo Pagos ſine Templis, Templa ſine Altaribus, Altaria ſine Myſtis, Nova Cælituum venerationi Pegmata moliuntur, Oppida, Vrbes ſi non evertunt, certè oneribus vix ferendis Encelado depreſſas ad egeſtatem, graviter faciunt reſpirare, ſuſpirare, (dixiſſe debueram) lacrymis jam exhauſtis. Evacuantur habitatore tecta, ut impleantur hiantes, inhiantesq; argento arcæ, inclinantur mœnia, terram demiſſo vertice adorant propugnacula, ut ruderibus ipſis attollatur Fortuna jacens. Optimum, Tu ILLVSTRISSIME Patriæ Civem, Civium Patrem ac Defenſorem geris, afflictis Aram, aſylum aperis, ut cenſearis Ampliſsimum attigiſſe Honorem ideo, ne calamitati deeſſet lenimentum, præſidium. Nemini dexteram protendis tardiùs, quam non eripis a ruina abjectiſsimam etiam conditionem? qua felicitate foves, quem pro æquitatis neceſsitate ferendum ſuſceperis? Hi Tibi ſunt continuæ ſolicitudinis uſus, hi Dignitatis

tatis fructus, hæc emolumenta, censusq; colligis Probitatis, quod nulli deesse optes, cui adesse Numen Tutelare possis; enixè apud Te benevolentia perorante pro miseris. Sublimiùs ultra exspectationem, livorem, atq; fastigium, erige Terna TVRRIVM Culmina, & Tu POSNANIA, in Triumphalem Machinam abeat AVITA PORTA, per superata pestis, funerum, confertissimos obstantis adversitatis, hostium impetûs itura victrix: sub BINIS CLAVIBVS thesaurum grandem servando Gratiæ PALATINÆ. Vna prehendat manu Orientem Macedo, altera Occidentem, RADOMICCIANA DEXTERA Solam orientem detinebit FORTVNAM, utilitatis procul relegato occasu. Resistet plurimis avidis manibus (si fors inventæ fuerint) VNA ARMATA MANVS, imponetur Ferreo Sæculo hæc MANVS ultima. Non ultra POSNANIENSIS VRBIS circumferentiam stetit NOSTRVM COLLEGIVM, nec extra stylum magnitudinem benificentiæ indicantem ponatur; ad vicinitatis servanda jura & in panegyri. A fundamentis vividè erexit caput LIBERALITATE KONARSCIANA, ne superato sæculo pridem, impellatur ad senium felicitatis, e sublimi FORTVNÆ specula optimè prospicis integritati. Tenes ampliorem Sortem præ aliis, sed ut diffusa Archipelagi more exonerantis se latè in flumina, non minuatur, derivas in alios. Semel exoritur de die Sol non exoratus, beneficiis in horas pluribus valorem addit ultronea Munificentia, penes quam citius gratia invenitur, quàm quæri, imo optari potest. Mitto hìc numerosissimas Virtutes Tuas, ne temeritatis incurram notam, volendo ire per singulas. Produxi aliquas & non laudavi, quia supra omne encomi-

comi-

comium ſunt. Admonet nos & Avitus in CAMPO Rubor Verecundiæ Tuæ, quæ ut modeſtiſsimis etiam accenditur laudibus, ita quòd Virtutes omnes pudore veluti murice tinctæ conſpiciantur, SENATORIAS manifeſtè demonſtrat.

Templorum, Vrbium, Collegiorum ubi clauduntur limina, vaſta ſe aperit ſtatim Bibliotheca. Satis eſt multis Bellona ad famam unica, aliis Pallas ad gloriam, Tibi Vtrumq; hoc Numen intra Penates eſt. Martis hîc eſſe Patriam Clima Lechicum vidit, hoſtis expalluit, ſenſit ; Minervam dilecta loquentur Capita. Familiare etenim eſt LITERATISSIME SENATOR Tibi, ſtatim poſt Oratorios collectos flores, Porphyrianam Arborem translatam in CAMPVM : & ne deeſſent flumina Arvis, poſt ſuperatum feliciter Euripum Philoſophi, Scriptorum paginis continuatas inferre curas, a temporis ſpatiis eruditionem exigere, ut Annales evolvendo & Faſtos, facias quæ Tui legant & admirentur Poſteri, Ipſe grandis hiſtoria Orbi fias. Iacuit quondam Homeri Ilias ſub Alexandri cervicali, intra Severi Imperatoris caput deliteſcebat Volumen Virgilii, intra atterentes manus, receptaculum ipſum RADOMICCIANÆ Mentis, hodie Libri ſunt collocati. Fulsêre hactenus Atticæ, ſeu Eruditæ Noctes ad Ariſtophanis Cleanthisq; lucernam, jam dies integri literatiſsimi reſplenduerunt MAIORI POLONIÆ, non ſine linea in atrato folio, non ſine laborioſo otio Sapientum. Quàm enim negotioſa res, quies hujusmodi, teſtatur ingens notitia Statuum, Regiminum Politicorum, Patriarum Legum & Statutorum, Rituum, Morum, Conſvetudinum exterarum, Geographiæ, Architecturæ : promulgat grande rationum mo-

 men-

mentum, quo ſæpe Imperia, Regna, Provinciæ vertuntur ſeu ad exitium, ſeu adminiculum felicitatis. Ex iisdem Librorum fontibus hauſta dicendi copia tanta, quanta ad argutè prolata argutiùs, graviter dicta graviùs refundenda exigitur. Prælia admittis in colloquia, aciem ordinare cenſeris, de Tribunalibus, Fæderibus, Comitiis, Conſiliis formas ſententiam, Areopagitam, Neſtorem, Arpinatem, Senatum in ore, Graviſsimi Viri notaverunt. Magna protuli ſimul, majora in Te quia complecteris, non minora paras in FILIO PERILLVSTRI IOANNE RADOMICKI CAPITANEO OSIECENSI, aliorum calamis, paginisq; divulganda relinquo. Interim patere CLEMENTISSIME PALATINE, ut ab Optimo Patre ad Natum, (quæ duo conjunctiſsima ſunt) referamus panegyrim feſtinantem. Non potuit ille ſine mora naſci, qui mentem longiori conſilio occupabat, qualem ſe oporteret eſſe, qualiq; methodo, in Se Vno veluti compendio, RADOMICCIOS Omnes exhiberet. Ipſa natura parens Tantæ Animæ parem corporis molem ut provideret, diuturniori temporis indigebat decurſu: alterum Filium Parentibus dare ad geminandum ſolatium renuebat, magnitudine Tanti obruta Partus. Verùm compenſata abunde eſt naſcendi tarditas, ingenii celeritate, in CAROLO --- FERDINANDEA ACADEMIA PRAGENSI, Philoſophicis exculti Concluſionibus; ad quam dum pedem intulit, alteram Vniverſitatem exemplorum, Gratiarum, decorum videbatur traxiſſe. Maturitatem judicii, nec non morum requiris? ferè nihil in Se puerile exhibuit, præter ætatem. Inde prudentia quæ Virum, maturitas quæ deceret canitiem, moderatio non tam

eſt

est Virtus quàm natura ; Divinioris Mathesis peritia in Iuventute, Veterano debita Archimedi. Vidimus in Architectura Militari exactissimè delineasse Canones Munitionum, Loricas, Cortinas, Parmulas, Cassides, Fossas, Cornuta & Coronata Opera ; id est firma præsidia parasse Vrbibus, ut ibi Patria habeat muros, ubi non habet. Ad enchiridion rem ut deducam, Generosioris Arboris Plantam statim cum fructu proferam, in RADOMICCIANO CAMPO Spem non in herba. Natus gloriosè gessisse, non meminisse tantùm, propria crescet non alienâ famâ: Serius, non Scenicus futurus eorum Actor, quæ recitaverit de Fastis Domûs, Auctor immensæ laudis, & non duntaxat Hæres; Magnus sed sua mole. Ponet protensam Majorum lineam & imitabitur, intrabit CAMPVM Vir bonæ frugis, decurret victoriis, onerabit trophæis: GLADIVM Solum non positurus, quia stricturus fortiter, in hostium jugulis hebetandum. Iturus est & extra Patriam, ideoq; hæc ferat encomia. Intuebitur Imperialis Ales Gemini Capitis Vnum, sed quod satis erit Poloniæ pro multis Caput, Bavarus Leo semper apertam defiget palpebram, Adriatici Regina Maris Venetia scribet in pectore, non elemento fluido humanitatis solida jura: Latium Orbis compendium, in Hospite est inventurum augmentum decorum. Accedet Galliæ Liliis Flos Nobilissimus, si Magnum Sangvinem spectas & verecundiam Rosa, si innocentes mores, Florum Gemma. Maculam nullam aspersuræ sunt Lutetiæ Parisiorum, ex tot Lustratis Vrbibus urbanitatem, ex populorum varietate, apud Patriæ Cives popularitatem, ex Potentissimis Regnis validiorem animum est relaturus. LVDOVICI MAGNI

CHRISTIANISSIMI REGIS implebit oculum, cor occupabit, poſsidebit amores; atq; tunc Se glorioſiſsimè Veram Polonam Aquilam advolaſſe monſtrabit, dum ſine vindice radio in palpebra exploratrice Sereniſsimum Regnorum Solem intuebitur. Talis, Tantusq; cum verè ſit OSIECENSIS GVBERNATOR, gloriæ nihil decedit Tuæ, nihil ILLVSTRISSIMA FRANCISCA de CZARNKOWSCIIS MATER detrahitur Tuæ, quia geminatur ita in FILIO, ut Solis radius in cæli arcu, Oceani amplitudo in amnibus, ubertas in meſſe ſeminum, aurifodinarum in nummis, Erythræi in gemmis pretium. Hoc demum erat adinſtar Solis prodeſſe Orbi, qui nonniſi relicto ſidere alio, rapitur cælo. Talia dum trado paginæ, aliorum plura relinquendo labori, nonnemo in has prodiit voces. O! in Vno, non ſemel FORTVNATI PARENTES, Prole egregia laſſabuntur Curules, atterentur Purpuræ; nec defiturus unquam Faſcibus incæptis Hæres.

Redit ad Te ſtylus PALATINE ILLVSTRISSIME, & celeriùs volvi neceſſe eſt periodorum ambitum, dum SERENISSIMI AVGVSTI II. favores non corrumpit tarditas, ingratos lentior non reddit gratia. Similem neganti PRINCIPEM dum Dignitates conferret ex Dignitate Gneſnenſi prima, tanquam e Nido ductas, oculus Mundi nunquam ſpectaverat. Non fatigaſti Tu deſideria, prolixiora minimè laſſaſti vota, ſpes non trahebas longiùs, quia ſpe omni melior, & major eras. Minora protuli. Feſtinabant Honores ipſi, prodibant obvii, eripiebant Te, porrigebantq; ſibi: atq; ne maxima volverentur tardiſsimè, Amores REGIS dedêre alas, Aulæ Favo-

nii

nii explicuerunt FORTVNÆ vela. Inter horrenda fulgura, accensa fulmina Pomeranici belli, Palatini Fasces apparuerunt, non enim aliter Honorum gemma concipi poterat, nisi inter fragores: nec alibi, nisi ad Mare nasci, motibus Confluentium Exercituum magis, quàm ventis, procellis, fluctibus exagitatum. Littus Balticum attigi, sine intercapedine Latissimum Æquor Honorum (qui avidè Te præstolantur) se se effundit, Oratorum Flumina, Vatum Fontes Castalios, Fatidicas Pieridum Aquas impleturum. Imo non tot spectantur ex Oceano parente fluvii, ex Agro Pæstano flores, Equo Trojano milites, quot e Pacati Panegyristæ mente: contrahentur quidam Honorum Senatus in Vnam DOMVM.

In frequentia, soliditate, constantia felicitatum ea, PROSAPIÆ debita RADOMICCIANÆ, nec FORTVNA Tua AMPLISSIME PALATINATVS POSNANIENSIS adeò poterit fluctuare, ut sit vicina Syrtium faucibus, Caphareis hiatibus. Motura est Te PALATINO PROVIDENTISSIMO lacertos MAIOR POLONIA, sævitiâ superatâ fatorum, surrectura Vniversorum Sors a clade major, ex flammis pulchrior. In ea quippe natus solatia atq; prodigia existimaris esse, ut non Sola Arabiæ reparabilis Ales e busto cineribusq; evolet, cunas, patriumq; simul sepulchrum proferens; verùm & NOBILISSIMI PALATINATVS Istius AQVILA, Martiis sopitis ignibus, pulvere excusso belli, funerum agmine victo, ultra sæcula vivat. Communem spirat laudandi formam, ut fortunatum exhibeas ingressus alicujus auspicium, dicere cælum extitisse serenum, tenuisse maximam inter se elementa concordiam; non pluviis per-

fuſam terram, nec clamoſis fulminum diſcurſionibus perterrefactum populum: aut ſi verus Cometes non arſerat; fictè aſſerere phænomenon. Quare non conſulimus hodie Sidera, non Apollinem, Vatumq; turbam, Sors noſtra qualis? Ex Numeroſis ILLVSTRISSIMORVM SENATORVM Purpuris, ceu ex rubore cæli, facilè eſt polliceri incrementa lucis, ſerenum Patriæ, ex AMPLISSIMA CORONA NOBILITATIS PALATINATVS POSNANIENSIS, & CALISSIENSIS, coronata felici exitu Civium vota.

Paginam claudimus, ſed non Virtutes, Decora, Merita Tua, Poſterorum memoriam, Ætatum Faſtos impletura & Orbem. Non ſuccenſebis ſi minùs ſplendidè de ILLVSTRISSIMO GENERE, minùs feliciter de FORTVNA, non ampliùs de CAMPO PATRIO, neq; acutè de ENSE diximus: amat enim Religioſa tenuitas etiam dictionis modeſtiam, Tu Ipſe Tibi maximum eſto encomium.

